

## ELEGIA III.

## AD MYRÆUM

SUPREMUM ARCADIÆ CUSTODEM.

**Q**Uod me insperato, nil quidquam tale putantem,  
 Esse unum vestri, docte Myræe, chori,  
 Pastoremque jubes fieri, atque inflare cicutas  
 Ludentem Arcadio gnaviter in nemore;  
 Id gratum est, sane gratum, acceptumque, profari  
 Quantum vix potis est hæc mea Calliope,  
 Quæ se fracta animi, lucemque perosa, neque hilum  
 Jam sperans, penitis abdiderat laribus;  
 Nec prodire foras quoquam, aut ostendere cuiquam  
 Audebat fœtus pauperis ingenii;  
 Et saepe ingenti quos anxia non sine cura  
 Versus in longis noctibus extuderat,  
 Aut nigri obducens perdebat labé veneni,  
 Monstra velut matri dedecus, aut avidæ,  
 Quæ comes adstabat scribenti sola, vorandam  
 Ipsa suam prolem sponte dabat faculæ:  
 Vel se contemnens, nec sperans edere posse  
 Digna legi a quoquam, tempora vel metuens  
 Hæc mala, non Phœbo, non sanctis æqua Camenis.  
 Nunc eadem, tibi se quod placuisse videt,  
 Seque probat, servatque, ac profert scripta, caninum  
 Latrantis dentem nec timet Invidiæ,  
 Quidquid & in teneros doctorum hirsuta poetas  
 Effutit grandi turba supercilie;  
 Atrox turba, sapit cui nil non triste, severum,  
 Horridulum, iratis nata Heliconiasin,